Quelle: https://manuscripta.at/?ID=128
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

causa dicitur sive ad aliud affertur probandum: propositio est. Si de ipsa enuntiatione queritur: questio est. Si ipsa est approbata: conclusio est. Idem igitur propositio questio et conclusio est sed differunt modo.

Argumentum est ratio rei dubie faciens fidem. Non vero idem est argumentum quod argumentatio. Nam vis sententie ratioque ea que clauditur oratione cum aliquid probatur quod ambiguum est: argumentum vocatur. Ipsa autem argumenti elocutio: argumentatio dicitur. Quo fit ut argumentum quidem virtus vel mens argumentationis sit atque sententia. ~~argumentatio sententia~~. argumentatio vero argumenti per orationem explicatio.

Locus vero est argumenti sedes. vel unde ad propositam questionem conveniens trahitur argumentum. Que cum ita sint. singulorum diligentius natura tractanda est. Eorumque per species ac membra figurasque facienda est divisio. ¶ Ac primum de propositione differendum est. hanc esse diximus orationem veritatem vel mendacium continentem. Huius due sunt species. Affirmatio una. altera vero negatio. ¶ Affirmatio est siquis ~~hec~~ sic efferat. Celum volubile est. Negatio siquis ita pronuntiet. Celum volubile non est.

¶ Harum vero alie sunt universales. alie particulares. alie indefinite. alie singulares. Universales quidem ut si quis ita proponat. Omnis homo iustus est. nullus homo iustus non est. Particulares vero si quis hoc modo: quidam homo iustus est. quidam homo iustus non est. Indiffinite sic. Homo iustus est. homo iustus non est. Singulares vero sunt. que individuum aliquid singulareque proponunt. ut cato iustus est. cato iustus non est. Et enim cato individuus est ac singularis. ¶ Harum vero alias predicativas: alias conditionales vocamus. Predicative vero sunt: que simpliciter proponuntur. id est in quibus nulla vis conditionis adiungitur. Ut si quis simpliciter dicat celum volubile esse. At si huic conditio copuletur: fit ex duabus propositionibus una conditionalis hoc modo. Celum si rotundum sit esse volubile. hic enim conditio id efficit. ut ita demum celum volubile esse intelligatur si sit rotundum. ¶ Quoniam igitur alie propositiones predicative sunt. alie conditionales. predicativarum partes terminos appellamus. hi sunt predicatus atque subiectus. Terminos autem voco verba et nomina. quibus propositio nectitur. ut in ea propositione qua dicimus homo iustus est. hec duo nomina id est homo et iustus. propositionis partes vocantur. eosdem et terminos dicimus. Quorum quidem alter subiectus est. alter vero predicatur. Subiectus terminus est qui minor est.